

Quili bet po test esse martyri.

Nemo ergo dicat: Infelix ego sum ac infausto tempore natus; neque enim possum fieri martyr, quia cessat hominum persecutio, nullus jam est Nero, nullus Decius; nam quilibet fieri potest martyr, si suis cupiditatibus, timoribus, tentationibus generose ex Dei amore resistat: tua cupiditas tuus est Decius; tuus timor tibi est Nero; tua tentatio tibi est Julianus. Persequitur te socius irridet, probis afficit, calumniatur; cruciatu te febris, catarrhus, asthma. Si hæc Dei amore patienter toleras, martyr es patientiæ, uti fuit Job. Instigat te gula, ut vino et deliciis te ingurgites? Repugna, et martyr es abstinentiæ, uti fuit Daniel. Sollicitat te ambitio, ut præ cæteris te extollas, dignitates primas ambias? Evelle illam e mente tua, et martyr es humilitatis ac modestiæ, uti fuit S. Franciscus. Superior tibi dura tuisque sensibus repugnantia jubet? Obedi, vince teipsum, et martyr es obedientiæ, uti fuit Abraham, offerendo suum Isaac, Gen. xxii. Titillat te luxuria? Illam jejuniis mortifica et cilicis crucia, et quædam martyri castitatis, uti fuit Joseph. Stude, doce, concionare, labora, ad Indos proficiscere, ut tot animas perente salvas, et martyr es charitatis, uti fuit B. Xaverius.

18. ET IN SYNAGOGIS (ubi lex legebatur et legis violatores castigabantur) SUI FLAGELLABUNT VOS. — Sic in iis flagellati sunt Petrus et Apostoli, Act. xiii, 24 et seq.; et Paulus, in Cor. xi, 24: «A Judeis, inquit, quinquies quadragenas, una minus, accepi; ter virgis cæsus sum,» etc.

ET AD PRÆSIDES (provinciarum) ET AD REGES DUCEMINI PROPTER ME, IN TESTIMONIUM ILLIS ET GENTIBUS. — Sytus, in testimonium tum ipsorum, tum Gentium. Sic Paulus ductus est captivus, quasi reus ad Felicem et Festum, præsidēs Judææ, Act. xxiii, 24 et seq.; Jacobus Minor ad Ananiam Pontificem, a quo jussus occidi; Petrus et Jacobus Major ad regem Agrippam, qui Jacobum capite plevit, Act. xii, 23. Idem a Judeis per Græciam et totum orbem sparsis, ubique persecutionem passus est, et protractus ad præsidēs provinciarum, ut patet ex Actis Apost. xiii, 45 et sequent. Petrus et Paulus ducti sunt ad Neronem, a quo tandem perempti, gloriosum obiere martyrium. Sic S. Andreas ductus est ad Egeum, Achaia præconsulem, ab eoque crucifixus. S. Joannes ad Domitianum Imperatorem, a quo dolio ferventis olei impositus, ex eo splendor exivit. S. Mattheus ductus est ad Hircacum, regem Æthiopiæ, S. Thomas ad Brachmanes, S. Bartholomæus ad fratrem Polemonis, regis Indiæ, a quo vivus excoriatus est. Hinc patet hæc non tam ad primam Apostolorum in Judæam missionem (tunc enim nil tale passi leguntur), quam ad cæteras per omnem orbem vitam deinceps obitas spectare. Ad illas ergo hic Christus extendit et dilatat sermonem suum.

PROPTER ME; — quia meam fidem et religionem predicatis, me scilicet esse Messiam Dei Filium,

Salvatorem mundi: unicuique malorum, ait S. Chrysostomus, mitigationem adiungit, nam non parva consolatio est, pati propter Christum. Quocirca Apostoli flagellati «libani gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.» Act. v, 41.

IN TESTIMONIUM, — tum verae fidei meæ, quam predicatis; huius enim illustre testimonium erit vestrum martyrium: unde multi videntes constantiam Apostolorum et martyrum in tormentis, ad Christum conversi sunt: ita S. Hilarius; tum persecutorum perfidia, obstinationis et condemnationis, «illis,» scilicet Judeis et Gentibus, quæ pariter vos persequentur, et ad quarum præsidēs protrahimini. Notat Apostolos non tantum a Judeis in Judæa, sed et a Gentibus, cum ad eas post mortem suam proficiscerent, multa passuros. Porro, «illis et Gentibus» proprie est q. d. contra illos, scilicet Judeos, et contra Gentes; q. d. Vestra productio ad tribunalia, liberaque meæ fidei confessio, ideoque condemnatio et punitio, publicum erit testimonium toti orbi ostendens juste Judeos et Gentem, tum in hac vita, tum in die iudicii excindi et damnari, eo quod vestra prædicationi increduli fuerint, et acce veros Dei præcones persecuti fuerint et occiderint. Unde Euthymius: «In testimonium,» inquit, hoc est ad redargutionem Iudeorum et Gentium, ne postmodum dicere possint, quod vestram prædicationem non audierunt. Notat Theophylactus: «In testimonium,» ait, id est in notam et reprehensionem eorum qui non credunt.

49. CUM AUTEM TRADENT VOS, NOLITE COGITARE QUOMODO AUT QUID LOQUAMINI; DABITUR ENIM VOBIS IN ILLA HORA QUID LOQUAMINI. — Undecim hunc hoc Christi præceptum, quo jubet Apostolos non esse sollicitos de responsione ad interrogationes præsidum, quia hæc se illis suggesturum pollicetur: «Nolite cogitare,» intellige sollicitæ, anxie, intempestive, quasi vobis solis vestraque prudentiæ fisci, Christo Deoque (cujus causa, honor et voluntas hic agitur) diffidatis. Unde Græce est, *μη μετὰ φρονίαν*, id est ne sitis anxii et solliciti, uti verbi noster Interpres apud Lucam, xii, 11. Non ergo prudentem responsionis præmeditationem vetat, sed anxiam nimiamque sollicitudinem. Simili sensu venit sollicitudinem victus crastini, vi, 25, ut discant fideles a Dei providentia pendere, eamque suppliciter quotidie invocare. Quocirca martyri in questionibus et tormentis assidue invocandus est Deus, ut sapientiam ad respondendum et animos ad tolerandum suggerat. Hoc est quod Lucas, xxi, ait, Christum dixisse et promississe: «Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.» Sic de S. Stephano ait Lucas, Act. vi: «Non poterant resistere sapientiæ et spiritui, qui loquebatur.» Ita S. Franciscus spæ martyrii profectus in Syriam ad Sullhanum Babylonie, «tanta mentis constantia, ait S. Bonaventura in

ejus Vita, cap. ix, tanta virtute animi, tantoque fervore spiritus prædicavit illi Jesum Christum, ut Evangelicum illud in ipso claresceret veraciter esse completum: «Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.» Nam et Sullhanus (antea Christo infensissimus) libenter ipsum audiebat, admirando in viro Dei fervorem spiritus, conspiciens et virtutem, et ad moram contrahendam eum eo instantius invitabat.»

Illustre ad litteram extat exemplum in Vita Lucia. S. Lucie Syracusanae, quæ a Paschasio præfecto jussa diis immolare, cum audacter id refutaret, præfectus minando, dixit: «Cessabunt verba cum ventum fuerit ad verbera.» Cui virgo: «Dei servus verba deesse non possunt, quibus a Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante reges et præsidēs, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquamini, sed Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis.» Quam cum Paschasius interrogasset: «Est ne in te Spiritus Sanctus?» Respondit: «Caste et pie viventis templum sunt Spiritus Sancti.» At ille: «Jubebo te ad lupanar duci, ut te Spiritus Sanctus deserat.» Cui virgo: «Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.» Quare Paschasius ira inflammatus, Luciam eo trahi jussit ubi ejus virginitas violaretur; sed divinitus factum est, ut firma virgo ita consisteret, ut nulla vi de loco dimoveri posset. Vide hic admirandam virginis prudentiam, qua ad singula interrogata tam sapienter et cordate respondit, ut præfectus obtulisset: nimirum loquebatur in ea Spiritus Sanctus.

Topologice: S. Augustinus, lib. IV De Doctr. Christ., cap. xv, docet prædicatorem ante concionem orare debere et studere: «Ad horam vero ipsas dictionis, ait, illud potius hominibus menti cogitet convenire quod Dominus ait: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquamini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.»

20. NON ENIM VOS ESTIS QUI LOQUAMINI, SED SPIRITUS PATRIS VESTRI, QUI LOQUITUR IN VOBIS. — q. d. Loquimini præsidibus, non ex vobis vestraque prudentia et animo, sed ex Spiritu Sancto, qui vobis suggeret sapientiam et animos, ut præsidibus sapienter et animose respondeatis; quare in vobis non tam vos ipsi, quam Spiritus Sanctus loquitur: sicut in asina Balaam loquebatur Angelus, Num. xxi, 28, ita in Petro et Apostolis locutus est Spiritus Sanctus coram Pontificibus. Act. iv, 13.

21. TRADET AUTEM FRATER FRATREM IN MORTEM, ET PATER FILIUM, ET INSURGENT FILII IN PATRES, ET MORTE EOS AFFICIENT, — quia in me credunt, vel me predicant. Præmittit Christus Apostolos et fideles prædicatione futuram persecutionum, quas passuri sunt etiam a cognatis, fratribus et parentibus infidelibus, qui naturalis cognationis

et pietatis oblii, fidem et fideles id necem persequuntur, ut in iis constantes sint, ac tormenta, carceres et mortem ipsam ab his illatam generose tolerant potius quam Christum et fidem negent. Unde Beda: «Prædixit, ait, futuram perturbationem, ut quasi ante cognitum levius portarent.» Nam tela prævisa minis ferunt, ut ait S. Hilarius: «Multum proficit ad tolerantiam assumptionem, rerum imminentium cognitio.» Sic S. Barbara a proprio patre ob Christi fidem interfecta est. Sic et S. Christina. S. Lucia Martyr a proprio filio Euprepio de Christiana fide accusata est, et a iudice martyrio laureata die 16 septembris anno Domini 303. S. Paulus, primus exemita, ne proderetur a fratre, id est a marito sororis suæ, fugit in eremum, teste Hieronymo. S. Venceslaus, princeps Bohemæ, a Boleslao fratre et Drabomira matre infidelibus proditione peremptus est. Denique Domitianus Imperator Flavianum Clementem, Consulium romanum, patrum suum, et Flavianum Domitillam, cognatam suam, ob Christianam fidem interfecit. Maximianus Imperator Artemiam sororem suam christianam, Diocletianus Serenam uxorem, S. Caium Pontificem ejusque fratrem S. Gabinium cum filia sancta Susanna, cognatos suos, quia christianos, martyrio affect.

Hæc non tam in prima, quam in secunda missione Apostolorum per Judæam et totum orbem, post mortem Christi contingerent. Quare Jansenius putat hic esse hysterologiam; hæc enim a Christo esse dicta, non tunc, sed paulo ante mortem, ut habet Lucas, xxi, 16.

Verum alii melius censent Matthæum, qui ordinis est tenax, hæc suo loco et ordine, quo dicta sunt a Christo, consignasse; sed Christum illa rursum paulo ante mortem Apostolis refricasse et inculcasse, cum proxime futura erant, ut eos ad constantiam in adversis imminentiibus animaret. Nam nonnulla ex his iterat repetitque Matthæus inferius, xxiv, 10 et 13, velut dicta a Christo iterato ad mortem.

22. ET ERITIS ODIUM OMNIBUS HOMINIBUS PROPTER NOMEN MEUM: QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM, HIC SALVUS ERIT. — «Omnibus,» id est multis, passim omnibus, uti sebat in conciliis, iudiciis et theatris martyrum: Christi enim crucifixi fides et prædicatione toti orbi erat nova et paradoxæ. Unde infans Judæi sui Moysi, et Gentiles suis diis associi afflicte, insurrexerunt contra Apostolos illam prædicantes, et et contra paucos fideles ad illam conversos. Sic sæpe *in omni* in Scriptura significat multos. Sic enim vulgo loquimur, ut cum plurimos certaminis facti facere, dicamus omnes id facere, id est plerosque.

QUI AUTEM PERSEVERAVERIT — in patientia. Græce enim est *ὑπομένω*, id est qui sustinerit, scilicet has persecutiones et adversitates, a usque in finem,» tum persecutionum, tum vite: «hic omnis et solus «salvus erit,» salute, felicitate et gloria

Persecutio a cognatis S. Barbara, S. Christina.

S. Pauli exemita.

S. Venceslaus.

S. Flavianus et Domitilla.

S. Flavianus Imperator Artemiam sororem suam christianam, Diocletianus Serenam uxorem, S. Caium Pontificem ejusque fratrem S. Gabinium cum filia sancta Susanna, cognatos suos, quia christianos, martyrio affect.

Vers. 22.

Luc. xxiv, 17.

Mar. xii, 13.

In xxiv, 10 et 12.

Perseveravit in fine vite totius consummatio.

eterna, quasi patientie suis premio et corona donabitur. Non satis est semel, secundo, tertio tolerasse et vicisse; sed ad coronam necesse est tolerare et vincere usque in finem, juxta illud Apoc. II: « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vite. » Vide ibi dicta: « Ut autem toles in finem, jugiter respice finem. » Patientie enim corona est perseverantia. Audi S. Bernardum, epist. 129: « Perseverantia meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Vigor est virium, virtutum consummatio, nutritrix ad meritum, mediatrix ad premium, soror patientie, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, neque obsequium mercedem habet, neque beneficium gratiam, neque laudem fortitudo. »

Vers. 23. 23. CUM AUTEM PERSEQUENTUR VOS IN CIVITATE ISTA, FUGITE IN ALIAM. — « Non timendo passionem, ait Beda, sed declinando, ut tribulationis occasio seminarium feret Evangelii, » ne scilicet predicatoribus occisis succederet predicatio fidei, sed iis fugientibus alibi spargeretur, sique fugientes Evangelio et aliis locis, imo eidem loco ex quo fugiebant, vel absentes, vel redeuntes consulerent. Fuga ergo hæc erat victoria; fugiebant enim non ex timore, sed ex amore Christi, ut ejus fidem propagarent. Sic Tartari fugiendo jacunt sagittas in hostes insequentes, eosque confingunt et occidunt.

Fugere quando præceptum, quando permissio? Quæres, an hoc sit præceptum, an permissio duntaxat? Respondeo: Partim est præceptum, scilicet cum Ecclesie et fidei necessitas fugam exigit, aut lapsus proprii periculum: nam « Christum fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget, » ait S. Chrysostomus. Ita S. Nazianzenus, orat. 1 in Julian., et S. Athanasius, lib. De Fuga sua. Si enim ipse non fugisset rabiem Arianorum, ipsi in Oriente de fide Homoousii (que in uno Athanasio stare videbatur) triumphassent. Partim est consilium, quando scilicet ex fuga major propria aut aliena utilitas et perfectio speratur. Partim est permissio, ut cum quis tormenta valde metuunt et horret, nec in loco ubi persecutio viget manere, necessitate aut obligatione aliqua (v. g. quia est episcopus aut pastor) obstringitur, de quo vide S. Augustinum, epist. 180 ad Honoratum, et S. Thomam, II II part., Quæst. DCCLXXXV, art. v, et Abulensem hic, Quæst. CX. Alias fugere est illicitum, si videlicet fidei, justitie, sacramentis et ovis, puta fidelibus, inde eratur salutis periculum, aut scandalum, ut patet Joan. x, 11 et 12. Atque hæc que dixi sunt juris non positivi, sed nature et divini. Duodecimum ergo est hoc Christi præceptum, datum Apostolis iteris ad predicandum.

Hinc exemplo Christi, Apostolorum, S. Athanasii et aliorum, qui in persecutione fugerunt, refellitur Tertullianus, qui libro De Fuga contendit fugam esse illicitam. Unde S. Hieronymus, in Catalog. Scriptor. ecclesiast., in Tertulliano, docet hunc ejus librum esse unum ex iis qui ad eo

jam heretico et Montanista scripti sunt contra Ecclesiam. Porro, Tertullianus Christianis obijcens, Christus hic fugam jubere, respondebat hoc Christi præceptum fuisse temporale, datum Apostolis in prima missione per Judæam, quia præcessit vers. 5: « In viam Gentium ne abieritis; » et sequitur: « Non consummabitis civitates Israel, » etc. Idem censuræ ut S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius; se d. alii passim docent hoc præceptum Christi esse perpetuum, uti et alia hic. Et patet, quia id est juris nature, ut dixi. Licet enim, vers. 5, Christus Apostolos tantum in Judæam mittat, tamen eadem occasione dat illis præcepta in omnem vitam. Quocirca, Matth. XXVIII, et Act. I, Christum post resurrectionem jam in cœlum abeuntem alia eis præcepta dedisse non legimus, maxime cum omni tempore in Apostolis horum præceptorum servandorum par fuerit ratio. Ita Origenes, hom. 9 in librum Judæam; S. Athanasius, in epist. ad Orthodoxos; Nazianzenus, orat. 1 in Julian.; Jansenius, Maldonatus et alii.

AMEN DICO VOBIS, NON CONSUMMABITIS CIVITATES ISRAEL, DONEC VENIAT FILIUS HOMINIS. — Græce *ὡς ἔλεγε*, id est non absolventis, non finientis, scilicet peragendo et convertendo civitates Israel, id est Judæorum. Primo, S. Chrysostomus, et ex eo Theophylactus et Euthymius exponunt de prima missione Apostolorum in Judæam, q. d. Fugite a civitate vos persequente in aliam et aliam, quia non preveniatis me circumueundo Palestinam, sed antequam eam circumiveritis, ego redibo ad vos, vosque rursus ad me assumam. Verum in prima missione Apostoli benigne a Judæis fuere excepti: unde eis non fuit fugendum, sed gaudentes reversi sunt ad Christum, ut patet Luc. x, 17.

Secundo, Beda exponit, q. d. Non convertetis Israelitas ante meam resurrectionem, post quam ego ad vos redibo, vosque mittam ad Gentem toto orbe dispersas, ubi perpetuus circumueundi et prædicandi erit locus et jugis laborandi campus. Sic et Glossa Interlinearis, D. Thomas, Lyranus, Abulensis, Dionysius et Cajetanus.

Tertio, alii, q. d. Non percurratis Judæam fugiendo et prædicando, donec ego ad illam redeam quasi vester ultor et vindex, ut per Titum et Vespasianum Judæos, qui vos persecuti sunt, excindam et deleam.

Quarto et genuine, « non consummabitis » id est non perambulabit, aut potius perambulando non perficietis in fide Evangelii et religione Christiana civitates Israel, id est populum Israeliticum, ad quem jam vos mitto, ut dixi vers. 5, ante secundum adventum Filii hominis, puta Christi ad judicium, quem, ut docet Paulus, Roman. XI, oportet ut prius in Ecclesiam Gentis plenitudo Gentium, id est omnes Gentes intreat, et tunc omnis Israel salvus fiet, q. d. Cum vos persequantur, fugite de una civitate in aliam, quia

An fugere permissio?

Quingenti stimuli ad constantiam in persecutione.

Vers. 24. Fac. vi. 49. Joan. xxi. 16. 15. 20.

semper vobis fuge erit locus, ubi operam vestram utiliter collocare possitis apud Judæos, et multo magis apud Gentes; non enim deerunt Judæi nec Gentem convertendi, et in fide instruendi usque ad finem mundi et diem judicii. Unde Rupertus Israel accipit spiritaliter et mystice, id est fideles quoslibet, qui semper futuris sæculis per omnes Gentes asperuntur convertendi. Inuit Christus Judæos fore Evangelio incredulos usque ad finem mundi, sed tum paulo ante judicium convertendos ab Elia et Enoch. Ita S. Hilarius.

Hucusque præcepta Christi data Apostolis, sequantur jam promissa et stimuli, quibus eos animal ad generose superandum persecutiones. Primus stimulus est, vers. 24, Christi exemplum, quia Judæis majora sustinuit. Secundus est, vers. 25, quod Deus veritatem Evangelii post persecutiones sit patefacturus ad Christi et Apostolorum gloriam. Tertius, vers. 28, quod magis timendus sit Deus animæ Dominus, quam persecutor corporis. Quartus, vers. 29, quod Deus singulariorum eorum habeat curam. Quintus, vers. 32, quod Deus coram Angelis eos honorabit et glorificabit in æternum.

Vers. 24. 24. NON EST DISCIPULUS SUPER MAGISTRUM, NEC SERVUS SUPER DOMINUM SUUM. — Christus animat hic discipulos ad fugam et persecutionum tolerantiam seipso, ait Chrysostomus, id est suo exemplo, q. d. Discipuli et servus, quales vos mihi estis, o Apostoli, non debet appetere majorem honorem et plausum populi, quam habuit ejus magister et dominus, qualis sum ego. Si ergo ego a Judæis tantas calumnias et persecutiones passus sum, et majores passus, ut tandem ab eis crucifiger; parate vos pariter, ut similia ab eis et Gentibus patiamini. Hunc esse sensum patet ex versu sequente. « Multum, ait S. Hilarius, proficit ad tolerantie assumptionem, rerum imminuentium cognitio, maxime si patientie voluntas presumatur exemplo. » Addit S. Hieronymus, « ut glorie loco ducant, si Domino vel passionibus adequantur. »

Vers. 25. 25. SUFFICIT DISCIPULO, UT SIT SICUT MAGISTER ET SERVO SICUT DOMINUS EIUS. SI PATREM FAMILIAS BEELEZUB VOCAVERUNT, QUANTO MAGIS DOMESTICOS EIUS! — q. d. Si me, qui sum Christus magister et Dominus, imo paterfamilias vester (erat enim familia duodecim Apostolis constans, cujus Christus erat caput, rector et pater), Judæi irriserunt, calumniati sunt et vocaverunt Beelzebub, id est amicum et socium Beelzebub, dicentes: « In Beelzebub, principe demoniorum, eiecit demonia, » Matth. XII, 24; imo augescente ira et odio, ipsum Christum vocarunt Beelzebub, ut hic dicitur; si, inquam, in me, qui eis per tot miracula me Messiam et Filium Dei esse probavi, hoc ausi sunt, quanto magis eadem andebunt in vos domesticos meos, discipulos et familiares! Et si ego hæc ab eis modeste et fortiter toleravi, quanto magis vos eadem simili modo

Joan. xv. 20.

Quarta Genes. II.

tolerare debetis, imo in iis gaudere quod pro me ista toleretis, quodque in hæc tolerantia mihi assimilemini meisque quasi vestibus et insignibus ornemini!

Audi S. Hilarium hic, Can. x: « Omnia iniuriarum et contumeliarum genera nihil nos terreat, gloria potius loco amplectentes, si Domino nostro vel passionum conditionibus aequemur. » Et Tertullianus, lib. De Bona martyrii, cap. ix: « Cum magister, ait, et Dominus ipse perpassus sit persecutionem, et traditionem, et occisionem, multo magis servi et discipuli eandem expendere debebant, ne quasi superiores, exempti de iniquitate videantur, quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus domini et magistri. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, hom. 41 in epist. ad Rom.: « Magna corona est comminationem habere cum Domino. » Unde S. Ambrosius, lib. II De Abraham, cap. vii: « Exercitata, inquit, mens non aqualium præfert imagines, nec dracones; sed in cruce Christi, et in Jesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis. »

Moraliter: discant hic fideles, cum so pietati dant, cum Christo et Apostolis irridendos fore et subsannandos, sed genere probra omnia tolerant et contemnant, dicantque cum Paulo: « Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicet, aut ab humano die. » Hinc S. Hieronymus, epist. 30 ad Marcellam, loquens de Blesilla, S. Paulæ filia, que mortuo marito monache vitam professâ, a mundanis videbatur: « Blesilla nostra, ait, ridebit, nec dedignabitur loquacium ranarum audire convicia cum Dominus eius licitus sit Beelzebub. » Graviter Epictetus, in Enchirid., cap. xxvi: « Sapientia, ait, studium suscipere cupis: statim te para, quasi futurum sit ut deridearis, ut multi te subsannent. Sed si quid proficere vis, ne recusa, quominus ob res externas amens et fatuus habearis. » Similiter Lactantius, in Epitom. divin. instit., cap. 1: « Teneamus, ait, innocentiam, teneamus justitiam, subeamus imaginem stultitias, ut veram sapientiam tenere possimus. » Quin et Isaïas in nomine suo, ceterorumque Prophetarum et Apostolorum ait, cap. viii: « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portentum. » Et S. Paulus: « Speciatulum, ait, facti sumus mundo. Angelis et hominibus. » I Cor. iv. Vide utrobique dicta.

Quæres quis et qualis fuit Beelzebub? Respondeo fuit deus et idolum Accaronitarum, ut patet IV Reg. I, II, III, VI, ita dicitur quæsi בל זבוב bal zebub, id est dominus musca, vel habens muscam, eo quod adversus muscarum pestem coleretur et invocaretur. Sic enim apud Græcos Jovis cognomen erat βελεβου, q. d. amusca, quod cum colerent ad fugandas muscas. Sic Cyrenatici cum muscarum multitudinem pestilentiam afferret, Achorem deum muscarum ad eas abigendas invocabant, teste Plinio, lib. VIII, cap. xxvii. Sic denique Arcades et Elæi Myagrum sive Myodem (quo nomine

Moraliter: vitia stultitias per se ad irrisionem.

Beel bubul

Josephus, lib. IX *Antiq.*, cap. 1, verit̄ vocatque Beelzebub) quasi muscarum venatorem et interceptorem adorarunt, teste Plinio, lib. X, cap. XXVIII, et Pausania in *Arcadicis*. Vide Giraldum, *De Diis Gentium*. Hinc et idolum Beelzebub videtur habuisse caput muscæ. Nam Septuaginta Beelzebub vertunt *Deum muscam*. Simili enim modo Egyptiani Apin demm bovis capite et specie, Anubin canis, Hammonem arctis, vel hirci, Esculapium serpentis, alios deos et idola leonis, equi, aquilæ et avium forma pinxerunt et colerunt. Hinc ergo Judæi Luciferum, principem demoniorum, partim irrisionis, partim abominationis causa vocarunt Beelzebub, id est deum muscam, vel muscarum, talemque dixerunt esse Christum per summam contumeliam et sacrilegium. Plur̄ Beelzebub dicam IV Reg. 1, 2.

Porro, Græci codices tam hie, quam Marcus, III, 22, et Lucas, XI, 18, 19; æque ac Theophylactus, Euthymius, Vatablus, constanter pro Beelzebub habent *Jupiter stercorarius* (*zebul* enim Hebr. *habitaculum*; sed Chald. Syriace et Arabice, *zebel* significat *stercus*, quæ diabolus per peccatum est immundissimus, ideoque homines ad omnes immunditias, præsertim erapulse et libidinis, excitat, atque in sepulcris, patibulis locisque immundis, ut plurimum eam suis sagis versatur), idque ad contemptum, cadaveribus enim et stercoribus muscæ insident: atque hinc forte *zebuli* nomen, quod S. Hilarius alicque veteres dant diabolo; nisi malis *Æolie* ea nomi pro *zæa*, ut *zabulus* dicatur pro *diabolus*. Verum legendum est Beelzebub, non Beelzebul; sic enim legunt codices Hebræi, Chald., Syri, Arab., S. Hieronymus et alii passim. Sic enim Septuaginta legisse liquet ex IV Reg. 1, ubi Beelzebub vertunt *Baal* (id est Jovem vel Deum) *muscam*; *zebul* enim muscam significat, non *zebul*.

26. NE ERGO TIMUERITIS EOS: NIHIL ENIM EST OPERTUM, QUOD NON REVELABITUR, ET OCCULTUM, QUOD NON SCIATUR. — Græce est pulchra paranomasia: «Nihil enim est tectum, quod non sit relegendum; nihil coopertum, quod non sit discoperiendum.

Sensus est *primo*, q. d. Licet Judæi vos calumniantur quasi non Dei, sed Beelzebub, id est Luciferi Apostolos et Legatos; nolite tamen eorum probra, irrisiones et sannas timere, quia tandem Deus vestram innocentiam, fidem et veram religionem patefaciet, non tantum in die iudicii, sed etiam in hac vita, facietque ut ii, qui vos ante persequebantur ut diabolicos, cognita veritate, ut divinos Deique nuntios honorent, celant, credant, obediant. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Nimirum virtus palit̄ fumum invidiæ et infamie, sed eluctans in flammam claritatis et gloriæ erumpit, ac diu pressa laus majori cum luce effulgurat.

Posset secundo sic exponi, q. d. Ne timeatis aut

refugiatis, o Apostoli, predicare meum Evangelium, quia, licet initio pauci credant, ut videatur illud esse opertum et occultum, tamen sensim serpet, et tandem toti orbis ejus veritas innotescet, clarescet et splendebit.

Audi S. Ambrosium, lib. I *De Jacob et Vita beata*, cap. VIII: «Perfecti, ait, est viri non succumbere iis, quæ perisq̄ terribilia et formidolosa videntur, sed quasi fortem militem, gravissimum casuum sustinere incursum, conflictus subire, et quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quam declinando. Non iste in persecutione pavidus, non in tormentis mollior; sed quasi athleta fortis qui repercutit verberantem, si non cædis, certe sermonis flagello, dicens: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plaga eorum*. Qui cum gravissimo licet dolore luctetur, non miserabilem se præbeat, sed ostendat tanquam in laterna lumen, et inter asperas procellas et gravissimos flatus, suam lucere, nec exstingui posse virtutem animi.» Sic olim suis in cruciatibus Vincentius tyrannum repercutiebat, dicens: «Videbis me plus posse dum torqueor, quam ipse dum torques.» Sic Apostoli in persecutionum tenebris clarius radiabant. De quorum virtute S. Bernardus, serm. 27 in *Cantica*: «Quomodo, inquit, ellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ saepe in prosperis non apparet, eminet in adversis.»

27. QUOD DICO VOBIS IN TENEBRIS, DICITE IN LUMINE; ET QUOD IN AURE AUDITIS (SYRUS, quod in aures vestras auditis; Arabicus, quod auditis auribus vestris) PREDICATE SUPER TECTA. — In Judæa enim sunt tecta plana, ut in eis ambulare, cenare, dormire atque ex iis velut ex alto suggestu concionari liceat. q. d. Quæ privatim vobis dico, hæc publice predicat. Est cataphoresis; nam in *tenebris* et in *aure* idem est quod privatim et secreto; in *lumine* et *super tecta* idem est quod palam et publice coram omnibus. Ita S. Chrysostomus et S. Hieronymus qui triplicem affert sensum: primum, q. d. quod audistis in mysterio, hoc apertim predicat; secundum, quod didicistis abscondite, hoc publice loquimini; tertium, quod in uno Judææ angulo vos docui, hoc in toto mundo libere et audacter evangelizat.

Mystice: S. Augustinus, lib. *Quæst. in Matth.*, cap. II: «Quod dico in tenebris, id est in timore, inquit, hoc in lumine, id est in fiducia veritatis predicat.

28. ET NOLITE TIMERE EOS, QUI OCCIDUNT CORPUS; ANIMAM AUTEM NON POSSUNT OCCIDERE, SED POTIUS TIMETE EUM, QUI POTEST ET ANIMAM ET CORPUS PERDERE IN GEHENNAM. — Arabicus, in *ignem gehennæ*. q. d. Nolite metu mortis quam vobis intendunt persecutores, negare meam fidem, aut cessare ab ejus prædicatione vobis a

me imperata, vel aliquid ea indignum committere, quia si id feceritis, incurretis mortem tum corporis, tum animæ longe atrociorē et diuturniorē, scilicet æternam in gehennâ, ubi damnati moriuntur morte immortalit̄, quia jugiter in tormentis mortiferis, quasi in morte vitali et vita moribunda vivunt et perdurant, juxta illud: «Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.» *Isaia* LXVI, 24. Vere S. Chrysostomus, hom. 3: «Popul. : «Gehennam, ait, continue timens, itaque in gehennæ ignem decidet, continue castigatus hoc metu.»

Hæc Christi gnome proprie respicit rem necessariam et præceptam, scilicet jubet ut metu tyrannorum fidem Deo datam ejusque legem non violemus. Extendi tamen potest ad res consultas, non præceptas; sed tunc consilii est, non præcepti. Sic S. Clemens Pontifex eam extendit ad consilium virginitalis. Cum enim SS. Nereus et Achilleus, famuli S. Flavie Domitillæ, quæ jam desponsa erat Aureliano, consulis romani filio, persuassissent virginitalē, peterentque a S. Clemente ut illam velaret Deoque virginem consecraret, animose respondit Clemens: «Vobis, illi et mihi, ut video, paratur palma martyrii; sed quia Christus sanxit, ut non timeamus eos qui occidunt corpus, contemnamus hominem mortalem, ut auctori vite immortalis plane pleque pareamus.» Consecravit ergo Domitillæ virginem; quod audiens sponsus ejus Aurelianus, SS. Nereum et Achilleum varie tortos jussit plecti illi, capite, S. Domitillam in Pontiam relegavit, quæ tandem martyrium pro ignem obiit, ac demum S. Clemens in mare demersus eandem palmam obtinuit. Ita hi quatuor gloriose fuere virginitalis victimæ. Fuit hic eorum actus heroicus: potuissent enim licite suadere Domitillæ ad evadendam persecutionem, ut nuberet Aureliano; sed vicit amor castitatis et Christi. Ita habent eorum Acta apud Surium die 12 maii.

Hæc eadem Christi sententia S. Stephanus I, Pontifex et martyr, fideles ad constantiam in fide animavit sub Valeriano Imperatore, qui octavam persecutionem contra Christianos suscitavit, edicens, ut quisquis Christianum quempiam accusasset, ejus bona possideret et dignitates in exercitu quas posceret obtineret. Pavidus ergo Christianos S. Stephanus hæc Christi gnome confirmavit, ut opes terrenas præ cœlestibus contemnerent et vitam pro Christo spe vite æternæ profundenter. Atque dicta factis stabilivit, suisque quasi dux ad martyrium prævit. Missam enim celebrans, auditio satellitum strepitu, imotus et imperterritus perrexit: quæ finita sedens in sede, intrepide caput carnifici amputandum obtulit anno Domini 260. Ita habet ejus Vita apud Surium die 2 Augusti. Idem prorsus dixit et fecit S. Cornelius Pontifex et martyr anno Domini 253, die 14 septembris, ut patet ex epistola ejus ad Lupicinium.

IN GEHENNAM. — Hic gehennæ metus et vite æternæ spes acerrimus fuit stimulus Apostolis et martyribus ad generose superandum ecules, ignes, leones omniaque tormenta, ut patet in Machabæis, II *Mach.*, cap. VII.

Victor Utiensis, lib. III *Wandal. Persecut.*, narrat Dionysiam matronam, cum ab Arianis ex cælo loco tota nudaretur et virginis acerrime cederet, animose respondisse: «Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea.» Cumque videret unicum suum filium ad tormenta expallescens, eum animavit recordatione gloriæ, nequando rex dicat ministris: «Mittite in tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum et stridor dentium.» Illa desiderantia vita, quæ semper habetur. Talibus itaque filium solidans verbis velociter martyrem fecit. Hucusque Victor. Ibidem narrat Victorianum, Carthagini proconsulem, a legatis regis Hunnerici sollicitatum ad Arianismum, respondisse: «Securus de Deo et Christo Domino meo, dico quæ regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat bestias, exorciat generibus omnium tormentorum, si consensero, frustra sum in Ecclesia Catholica baptizatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, et allam, quæ vere est, non speremus æternam, nec ita foreissem ad vocationem atque temporaliter gloriari, et ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit creditori.» Ad quod tyrannus excitatus, quantum temporum, et quantum eum afflixerit penis, humanus sermo non poterit explicare. Quæ tripudians in Domino, felleferque consummans, martyrialem coronam accepit. Hæc Victor. Sapienter S. Flavianus martyr apud Surium in fine februarii: «Corpus, ait, tormenta non sentit, cum animus in celo est, et Deo se tota mente devovit.» Et S. Ambrosius: «Sapiens, ait, non frangitur doloribus corporis, sed etiam in ærumnis beatus manet.»

29. NONNE DICO PASSERES ASSE VENIUNT, ET UNUS EX ILLIS NON CADET SUPER TERRAM SINE PATRE VESTRO. — *Asse*, Græce *assario*, quod vocabulum est romanum et diminutivum, q. d. Parvus assis, cuius meminit Varro, lib. I *De Analogia*. Fuit autem assarius dimidia pars assis, non illius veteris, qui erat libralis (as enim erat libra æris, auri, vel argenti), sed recentioris, qui erat semuncialis, cuius est lege Papyria teste Plinio, libro XXXIII, capite III. Quare *assarius* erat quarta uncie pars, quæ in nummo æreo exigui erat valoris et pretii, adeoque duo quatuor Romani ex ære (uti meis oculis vidi) ponderant tere quartam uncie partem, imo eam plane aequant duo quatrini cum medio, qui valent dimidium balocum, id est quartam stuferi belgici partem, quam ipsi vocant *een oort*. Nam Julius sive regalis Hispanicus valet decem balocum, id est quingue stuferos: balocus enim est dimidius stuferus. Quare assarius est dimidius balocus sive quarta stuferi pars. Porro, balocus Roma continet

Vers. 25.
Luc. VIII.
17; xli. 2.
Mar. IV.
22.

Constantia SS.
Clemens
Domitilla,
Nereus et
Achilleus.

Item S.
Stephanus
1º papa.

Vers. 11.
Luc. 12.
4, 3.

quinque quatuor. Porro, assarius dicitur quocumque est assis, ut verit hic interpret, scilicet minor, sive dimidiatus: sic enim regales alii sunt duplices, alii simplices, et quasi dimidiati. Vatablus assem interpretatur quatuor denariolos, qui valent circiter duos quatuordecim cum dimidio Romano (1). Assis ergo, id est villi et minimo prolo venient, id est venduntur, duo passeris. (Mada Euthymius assarium interpretatur tenuissimum, vel minimum obolum). Hoc erat eorum pretium in Judea tempore Christi. Ita Georgius Agricola, lib. II De *avariis Ponderibus*.

NON CADET SUPER TERRAM, — id est non peribit, non morietur. Aves enim cum vivunt, in aere degunt et volant; sagittis vero confixæ, vel alia ratione morientes, in terram decidunt. «Sine Patre vestro,» id est sine providentia, cura, voluntate et decreto Patris vestri, q. d. Si Deus tantam habet passerulorum curam et providentiam, quantum habebit vestri? upote qui proprie sit Pater vester, non passerulorum: vos enim ad similitudinem suam rationales formavit, et per Christum reformavit Christoque similes, sanctos et Apostolos efficit: quare non permittit vos lædi, vel occidi a persecutoribus, nisi ut per martyrium meliori, imo felicissima vita et corona vos dolet.

Symbolice S. Hilarius: «Duo passeris, ait, sunt corpus et anima, quæ quasi passeris nata sunt, ut pennis spiritualibus volent in cælum; sed peccator ea asse, id est modica voluptate, vendit diabolo, ut descendant in tartara.»

30. VESTRI AUTEM CAPILLI (Syrus, pili; capillus enim dicitur quasi capitis pilus; nam et pili sunt in aliis membris) CAPITIS OMNES NUMERATI SUNT. — q. d. Deus ab æterno, non tantum membrorum, sed et capillorum vestrorum numerum statuit et decrevit: quare illum exacte novit, et capillos sub numero hoc diligenter exactodit, ne vel unus pereat sine peculiari ejus providentia, ut ait Lucas: quæ enim alicui numerata et sub certo numero commendata sunt, hæc ille exacte custodit, ne vel unum deperat, sed eodem numero conservet, ut eodem suo tempore restituat. Ita facit Deus nobis in capillis.

Allegorie: «Capilli Christi primo sunt omnes electi et salvandi,» ait S. Hieronymus, hi enim Christi ornant, sicut capilli caput. Tropologie: capilli sunt omnes cogitationes, locutiones et actiones fidelium et sanctorum: ita S. Cyrillus, lib. VIII in *Levit.* Rursum capilli sunt minutissimæ cogitationes et intentiones Sanctorum, quas Deus exacte novit, custodit, animat, dirigit, perficit et præmiat. Ita Damascenus in *Historia Barlaam et Josephat*, cap. IX.

(1) Romæ nunc unius scudo (Gall. 5 francs 80 centimes) continentur 100 balcos (balocchi); ergo assis major, qui est dimidia pars baloci, valebat fere 0,226, et assis minor seu assarius, de quo hic agitur, 0,113.

31. NOLITE ERGO TIMERE, MULTIS PASSERIBUS MELIORES (Syrus, *præstantiores*) ESTIS (Græce *δυνατώτεροι*, id est præstatis, antecellis, excellentis) vos. — q. d. Si Deus passerum habet curam, ergo multo magis vestri; quare in ejus paterno providentia sinu securi conquiescite, in quavis persecutione et tribulatione: ipse enim ab omni vos liberabit vel eripiendo, vel martyrio in morte liberando et in cælum transferendo, ubi non erit amplius labor aut dolor.

Porro, si passeris, qui ob garrulum, et quia domos conspurcant triticumque furantur, a domibus fugantur et ob carnes queruntur ad necem, incurrit tamen vivunt sine vitæ cura, eamque Deo resignant, idque ex solo natura instinctu, cum Dei providentiam non cognoscant; quanto magis vos, qui eandem et ratione cognoscitis, et fide creditis, et experientia quotidie sentitis, imo quasi manibus palpatis, eidem vos totos fidenter committere debetis; vos, inquam, qui ejus causam agitis, ejusque fidem et cultum propagatis! Horum enim, si ullorum, Deus curam habet quam maximam.

32. OMNIS ERGO QUI CONFITEBITUR (ab hac voce olim *martyres* vocati sunt *confessores*) ME CORAM HOMINIBUS, CONFITEBOR ET EGO EUM CORAM PATRE MEO, QUI IN CÆLIS EST. — «Confitebitur me,» Græce *ἑξομολογήσεται*, id est in me, id est eum, et sic legit Tertullianus in *Scorpiaco*, cap. IX. Sic quoque habet Lucas, XII, 8. In Græco est Hebraismus; Hebræi enim verba contactus, sive spiritualis et mentalis (qualis est confiteri et profiteri aliquem), construunt cum præpositione *ב*, id est in, dicuntque *בִּי הוֹדָה לִי*, id est confessus est in me, id est confessus est me, ut patet ex antithesi quam subjicit: «Qui autem negaverit me, negabo et ego eum.» Aliter Maldonatus: *Confitebitur*, inquit, id est gloriabitur in me, ut respondeat Hebr. הוֹדָה לִי *hivodde*, quod cum sit *hivpael* significat actionem in agentem reflexam, puta confiteri in seipso, hoc est gloriari. Denique *in me* habet emphasisim, multaque notat.

Sensus enim est, q. d. Omnis qui coram tyrannide de fide interrogatus, ingenue, libere et constanter professus fuerit se credere in me, quasi in Messiam, Dei Filium, Salvatorem orbis, sequere mihi meaque doctrine mordicus adherere, ac pro ea tenenda velle mortem oppetere; itaque me, meumque nomen et religionem palam honorare et celebrare, hunc pariter ego coram Deo, Angelis et hominibus profitebor esse meum discipulum, confessorem et martyrem, ac ut talem honorabo et celebrabo, atque martyrii laurea coronabo. Hoc est, quod ait Apostolus, *Rom. x*: «Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.» Unde S. Basilius, hom. *De Quadragesima martyribus*, narrans eos unanimi voce coram præside professos se esse Christianos, exclamavit:

«O beatas linguas, quæ sacram illam vocem emisissent, quam aer quidem excipiens sacer est factus, Angeli audientes plausissent, diabolo vero cum demonibus magnam accepit plagam, Dominus postremo in cælo descripsit.»

Martyrium ergo est confessio Christi et professio Christianismi usque ad equales et necem violentam, ideoque est summus honor et amor Christi. Unde Apostoli virique Apostolici ardentissime desiderarunt martyrium. S. Ignatius, *epist. ad Rom.*: «Amor meus, ait, crucifixus est: non est in me ignis mundanæ, sed cælestis materiæ, et aqua viva, quæ intus dicit: Veni ad Patrem.» Idem: «Pulchrum est a mundo occidere ad Deum, ut ad ipsum exoriar.» S. Basilius, hom. 19 in *S. Gordium martyrem*: «Martyres, ait, cælestem gloriam violenta immaturaque morte præveniunt; velociter ex hac vita, quæ potius est interitum longum dicenda, brevi quidem labore commigrare contendunt; supremum ætatis finem inutilem, sterilem, infructuosum, stultum, vanum expectare fastidiunt. Mortem ergo non vocant mortem, sed, ut ait S. Sophia ad Anastasiam filiam, apud Surium die 28 octobris, «Bonum ex malo mundo discessum, lætitiæ, gaudium, voluptatem, splendorem, pulchritudinem, lucem longe ac luce dulciorem et pulchriorem.» S. Antonius teste S. Athanasio, cum futuri martyres in persecutione Maximiani ducerentur Alexandriam, spe martyrii propiciens se «monasterio, sequensque futuras Christi victimas: «Pergamus, ait, ad gloriosos fratrum triumphos, ut et ipsi congregiamur.» S. Dionysius Areopagita, surrogato sibi Athenis episcopo, martyrii desiderio Romam adit, inde Gallias, ut cum Apostolis martyri occumberet: unde gloriosum pro Christo agonem fortiter obiit juxta Parisios.

Tertullianus *Apologeticum* pro Christo et Christianis ita concludit: «Sed hoc agite, boni præsides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos, probatio est enim innocentie nostræ iniquitas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur, nam et proxime ad lenonem damnando Christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitie apud nos atrocioris omni morte reputari, nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis secte; plures efficitur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.» Et paucis interjectis: «Quis non, ubi requisivit, accedit? ubi accessit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim huic operi delicta donantur. Inde est quod ibidem sententias vestris gratias agimus, ut est æmulatio divine rei et humane: cum damnatur a vobis, a Deo absolvimur.»

Idem Tertullianus, contra Gnosticos docentes esse in tormentis Christum ore negari, modo

ejus fides corde refineatur (idem postea runt Priscillianistæ, quorum tessera erat:

Jura, perjury, secretum prodere non!),

scripsit *Scorpiacum*, id est pharmacum contra Scorpios, puta Gnosticos, quo toto agit *De Bono martyrii*. Tertullianus quasi magistrum de more secutus S. Cyprianum, mire extollit martyres et martyrium, *Exhortat. ad Mart.*: «Martyrii, ait, inestimabilis gloria, infinita mensura, immaculata victoria, inestimabilis titulus, triumphus immensus.» Idem, ibidem et in *epist. ad Martyres*, inter alia his eos eologis sparsim ornat: «Martyr efficitur collega passionis Christi. Martyres præstanti magisteria morum, confessores initia virtutum. Martyres cum Christo futuri judicis. Martyres regnum celorum sine emulatione obtinent. Martyres fructum centenarium percipiunt. Martyrium triumphus gloriosus. Martyrium fides et fortitudo inexpugnabilis. Martyrium corona eo sublimior quo longior. Martyrium oratio meretur a Deo exaudiri. Martyrium triumphus lætatur Ecclesia. Martyrium prærogativa possunt lapsi apud Deum juvari. Martyrium memoria, passionis et dies anniversaria sacrificiis in Ecclesia celebrari solita. Martyrium patet cæli tempore persecutionum. Martyrium est in Dei dignatione, non in hominis postestate. Martyrium jam libenter appetunt, qui mortem contempneris discunt. Martyrium per baptismum sanguinis omnium excellentissimum. Martyrii initium ab Abel. Martyrii subeundi adiutor, testis et probator Christus. Martyrio statim patet ingressus ad regnum celorum.»

Denique antesignanus, princeps et dux martyrium est Christus. Haec de causa primi Antistites et Patres (quod et invitus fatebatur Julianus Apostata) «omnes ad martyrium quasi apes ad alvearium volabant,» ait S. Chrysostomus, *orat. in Juvent. et Maxim. mart.* tom. III, in fine. S. Hubertus, S. Lambertus martyri in Leodiensi episcopatu succedens, ingemiscit quod et eidem in martyrio non succederet: «O me infelicem, inquit, cujus peccata se in tantam sustulere congeriem, ut non idoneus dignusque possim reperiri consortio tanti viri, martyrii triumphum subeantis, palmanque martyrii invadentis! Ita habet Vita ejus apud Surium die 5 novembris. S. Dominicus vix instituto a se S. Domini Ordine Prædicatorum, cupiditate martyrii ad Saracenos profectus est, anno Domini 1217. S. Francisus ad martyrium ita anhelabat, ut S. Prædicate teste S. Bonaventura, cap. IX Vita ejus, ter in Orientem ejus potuendi spe sit profectus: primo, in Syriam, anno sexto conversionis sue; secundo, anno septimo ab Instituto Minorum Ordine, in Africam ad regem Marochi; tertio, in Terram Sanctam ad Sulthanum Babyloniam, sed irritis semper conatu, Deo nimirum ipsum ad nobilissimum sacrorum Christi stigmatum martyrium destinante.

Christus martyr: in Adversariis.

Martyrii gloria: in 3. Habitu.

Plura de martyrio annotavi Osee, cap. xi, in fine capitis. Vide Victorem Uticensem, lib. III, III Wandal. Persecut., ubi inter alia narrat ab Hunnerico rege Ariano plurimos orthodoxos, quasi agmina boctstarum, compactos fuisse in angustum carcerem, ubi locus non erat succedendi; quare omnia stercoreibus et urina scatebant, ut ille tunc foetor et horror universa poenarum genera superaret; et tamen martyres hymnum cum exultatione Domino decantabant: « Hoc est gloria omnibus sanctis ejus. »

33. QUI AUTEM NEGAVERIT ME CORAM Hominibus, NEGABO (Syrus abnegabo) ET EGO EUM CORAM PATRE MEO, QUI IN COELIS EST. — Subjicit hoc Christus, ut qui non movetur magna promissione, percellatur terribili comminatione, quod sicut Christus confitebatur confidentem, ita negabit negantem se, dicens: « Nunquam novi vos, discedite a me, qui operamini iniquitatem. » Matth. VII, 23; hoc est, ite ad Luciferum, cui servistis, in gehennam. Matth. XXV, 42 et sequent.

34. Nolite arbitrari, quia (quod) pacem venerini mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. — « Pacem, » scilicet terrenam et mundanam; nam pacem spirituales mentis et pacem unionis fidelium inter se, ac cum Deo et Angelis ejus, quae dicit ad pacem et felicitatem eternam in coelis, Christum altaturum praedixit et promisit, Isaias, IX, 6 et 7, et IX, 25; et hanc Angelis, Christo nato, hominibus nuntiaverunt, Luc., cap. II, vers. 14.

SED GLADIUM, — id est « separationem, » ut habet Lucas, cap. XII, vers. 51, et discordiam in fide et religione, scilicet fideles meos Christianos proprie per fidem separare ab infidelibus; hi vero inde et occasione accepta se separant a fidelibus infideli odio, eosque libertate, bonis et vita mulent; et hoc posteros maxime intendit hic Christus, idque optime respondet Michæe, cap. VII, vers. 6, ex quo hæc sumpsit Christus. Ita S. Augustinus, lib. I Retract., cap. XIX; et alibi, imo sic explicat Lucas, cap. XII, vers. 51, et patet ex sequentibus; sequitur enim:

35. VENIENEM SEPARARE (Syrus, ut factam dissidere) HOMINEM ADVERSUS PATREM SUUM, ET FILIAM ADVERSUS MATREM SUAM, ET NURUM AL. JERUS SOCERUM SUAM:

36. ET INIMICI HOMINIS, DOMESTICI EJUS. — Syrus: et inimicos habebit vir filios domus ipsius. Quia, ut ait S. Chrysostomus, hom. 2 Contra Judæos, eveniet ut in eadem domo unus sit fidelis credatque in Christum, alter maneat infidelis, ac pater velit filium a fide retrahere ad pristinam impietatem. Hoc predicans, ait: « Veni separare, » etc. q. d. Adeo vincet potestas Evangelii, ut filii quoque contemnunt parentes suos, filiae matres suas, et parentes liberos, imo et animam (vitam) et omnia pro pietate exponant. Hæc Chrysostomus. Porro alludit, imo citat Christus Michæe cap. VII, vers. 6. Putant nonnulli Christum alio sensu et causa abuti verbis Michæe, sed

2. illud dicitur: 1. etc. q. d.

respondeo Michæam ad litteram loqui de calamitate obsidionis impia Jerusalem per Chaldaeos, ubi docet eisdem S. Hieronymus, quia ejus incolae adeo gladio, fame, peste vexati et afflicti fuerunt, ut etiam frater fratri, filius parenti, uxor marito panem, domum, arcem eriperet et præciperet, ut sibi uni consuleret.

Allegorice autem hæc Judæorum pugna significat discordiam et pugnam infidelium, etiam parentum, fratrum, conjugum, contra fideles Judæos et Gentes tempore Christi, maxime quando propter eos periculum fame, bonorum et honorum, vel etiam vite incurrebant: tunc enim fratres, filii ceterique domestici fiebant inimici fratrum et parentum fidelium, et hoc sensu allegorico verba Michæe citat hic Christus; nec enim necesse est in allegoria vel parabola omnia omnino adaptare. Vide dicta Michæe, cap. VII, vers. 6.

37. QUI AMAT PATREM AUT MATREM PLUS QUAM ME, NON EST ME DIGNUS: ET QUI AMAT FILIUM AUT FILIAM SUPER ME, NON EST ME DIGNUS. — Scilicet, non est dignus qui me habet Dominum et magistrum, non est dignus meo nomine, consortio, gratia, regno ceterisque promissis meis, Luc., cap. XIV, vers. 26; « Non potest meus esse discipulus, » non est dignus me præceptore. Ratio est quia Christus, utpote Deus, Dominus, Salvator et Redemptor noster, longe præferendus et parentibus et filiis: quare qui illis eum postponit, ut propter eos a fide vel lege Christi desiccat, hic indigne tractat Christum eique summam ignominiam irrogat; quare indignum se facit ut in Christi familia et schola recenseatur. Ita S. Hieronymus et alii. Ita S. Saturnus, cum et minaretur Hunnerico rex, ni Arianus fieret, se uxorem ejus camelario in conjugium traditurum, cumque uxor id horrescens, obsecraret Saturnum ut regi consentiret, ipse quasi alter Job respondit: « Tanquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem, mulier, si sola esset hujus vite amara dulcedo: artificio, conjux, diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrabant filios, separant uxorem, auferant substantiam, mei Domini ego securus de promissis, verba tenebo: Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus. » Ita Victor Uticensis, lib. I Wandal. Persec. Idem, lib. III: « Matriona, ait, nomine Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspensio cremaretur, a marito jam perdito, filiis presentibus, taliter rogabatur: Quid pateris, conjux? Si me despicias, vel horum, quos genuisti, miserere, impia, parvulorum. Quare obvisceris utri tui, et pro nihilo ducis, quomodo gemitiu pperisti? Ubi sunt fœdera conjugalis amoris? Ubi societatis vincula, quae inter nos dudum honestatis jure tabulae conscriptae fuerunt? Respice, queso, filios ac maritum, et regie jussionis implere festina præceptum, ut et im-

Var. 57. Luc. XII, 50.

S. Siffridi sermo de fortitudo.

minentia adhuc tormenta lucreis, simul et mihi doneris et liberis nostris. Sed illa nec illorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius elevans a terra, mundum cum suis desideris contemnebat. »

38. ET QUI NON ACCIPIT (de manu Domini in humeros suos, ut instar Christi eam bajulet et aequo animo ferat) CRUCEM SUAM, ET SEQUITUR ME, NON EST ME DIGNUS. — « Crucem, » ut scilicet paratus sit pro Christo ferre opprobria, verbera, carceres et mortem etiam durissimam et ignominiosissimam, qualis est mors crucis, quam Christus pro nobis sustinere dignatus est; quia, ut ait S. Chrysostomus in persona Christi, sicut ego summam vobis attuli beatitudinem, sic singularem obedientiam et affectionem a vobis postulo, imo respoco, ut in mea acie sitis leones. Aludat Christus ab bajulationem suae crucis futuræ; omnino enim par est et justum, ut post Christum crucem pro nobis bajulantem, nos quoque crucem nostram ejus amore et reverentia bajulantes sequamur, et tendamus in cœlum. Hunc esse geminum littere sensum patet ex sequentibus. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et alii. Potest tamen generatim per crucem hic accipi omnis tribulatio a Deo immissa. Crux enim a cruciati dicitur, ait S. Gregorius; hæc Christianis Christi ducis sui amore et exemplo fortiter ferenda est.

Mystice: crux est mortificatio. Ita S. Gregorius, hom. 33 in Evang., Beda et alii. Audi Berythium: « Crucem, inquit, vocat Christus mortem ad ea quae mundi sunt, quia mortis instrumentum erat crux. Oportet enim eum qui Christum sequitur, mortuum esse ad mundanas voluptates. » Audi et Glossam: « Crux duobus modis portatur, vel cum per abstinentiam corpus afficitur, vel cum per compassionem proximi animus affligitur: peccata proximorum frivorium sunt sanctorum. »

Simili modo S. Hilarius et alii hæc accipiunt de cruce et martyrio spirituali, quia quis carnem, concupiscentiam et vitam crucifigit et a se resecat. Idem dico de sententia proxime sequenti. Addit S. Chrysostomus Christum meminisse crucis, ut sensum ad crucem et passionem suam animos discipulorum præparet.

Denique S. Hieronymus: « In alio Evangelio, inquit, scribitur: Qui non accipit crucem suam quotidie, ne semel putem ardorem fidei posse sufficere; semper crux portanda est, ut semper nos Christum amare doceamur. »

Var. 32. Inf. XVI, 25; Luc. XXVII, 33; Joann. III, 25.

Victorinus in notis magister matus.

sivit et lucratus est, is perdet animam, id est animam suam salutem eternam, quae sola vera est salus, ibique in gehennam. Et e contrario, qui perdidit presentem animam vitam ob professionem mei nominis et fidei, ut pro ea mortem oppellet et martyrium; hic inveniet vitam, salutem, felicitatem et gloriam animam eternam. Ita Theophylactus et alii. Simile est cap. XVI, vers. 25, et Luc., cap. XVII, vers. 33. Ita et Tertullianus, in Scorpiaco, cap. XI: « Animam, ait, ille invenit, qui negarit Christum lucrificandæ vitam; sed perdet in gehennam, qui se putat in negando lucrificacere eam. Perdet autem eam ad præsens, qui confessus occidit, sed inventurus eam in vitam eternam. »

Qui ergo indulget animæ suæ, perdit eam; qui mortificat, salvat. Vide hic paradoxon: vita hic sita est in morte, et mors in vita. Si enim pro Christo morieris, vives; sin Christum neges, ut vivas, morieris in æternum. Unde Tertullianus, in Scorpiaco, cap. V: « Voluit, ait, Deus mortem dissolvere, tormentis tormenta discutere, vitam auferendo conferre, carnem lædendo juvare, animam eripiendo servare. » Quare non potes molliore usu vitam expendere, quam sit eam pro Christo prodigas, « nam pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. » Psal. CXXV. « Pretiosa, ait S. Cyprianus, epist. 11, mors hæc est quae emit immortalitatem pretio sanguinis, » juxta illud Sapient. III: « Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. »

Nota: Heb. מַצָּא מַצָּא, id est invenit, subinde significat, « acquisivit, nactus est, comprehendit, assecutus est, » uti vertunt Septuaginta, Job, cap. III, 22; et Noster, I Reg. XXXI, vers. 3. Pari modo Græcum ἀπέλασεν, id est invenio, sæpe idem est quod impetere, obtinere, eruo, libero, assequor, comparo. Et latinum invenire est quasi in aliquid venire, aliquid acquirere et adipisci, ait Donatus. Sic Cicero, Philipp. I, ait: « Qui propter hesitantiam lingue stuporemque cordis cognitionem ex contumelia invenit, » id est acquisivit. Plinius, in Praefat.: « Inde nomen divinum invenit, » id est adeptus est. Sic dicitur quis invenire laudem, mortem, famam, id est acquirere. Sic, Luc. I, ait Gabriel B. Virgini: « Invenisti gratiam apud Deum, » id est venisti in gratiam Dei, ejus gratiam invisisti, ejus amorem naeta et adeptus es. Sic Apostolus, Rom. cap. IV, vers. 4: « Quid ergo dicimus invenisse, » id est assecutum esse Abraham Patrem nostrum? » Genes. XXVI, 12, dicitur: « Sedit Isaac in terra illa et invenit, » id est acquisivit « in ipso anno centuplum. » Ratio est, quia quod quis in fundo suo natum invenit, hoc sibi acquirit. Sic hic, « qui invenit animam, » id est qui vitam suam in persecutione mortis periculo expositam et quasi perditam lucratur, acquirit et quasi de novo facit ad se venire; negando Christum, hic « perdet eam » in altera et beata vita. Res enim perditam si inveniat, aestimatur quasi de

Vita in morte et mors in vita.

Invenio, pro acquirere.

novo acquisita. Est cataphresis. Qui enim vitam, quam tyrannus petiit, negando fidem conservat, hic cum quasi invenisse et de novo adeptus videtur.

Rursum *NOVO mATA*, id est *invenit*, subinde significat *quasi* per metalepsin, quia presse non invenitur, nisi quod quesitum est. Sic sensus est, *qui invenit*, id est qui querit vitam suam conservare, et quaerendo acquirit ac conservat. Sic Jonathas ait famulo: «Vade, et affer mihi sagittas,» ubi in Heb. *mata*, hoc est *vade et invenit*, id est quare mihi sagittas, I Reg. xx, 21.

Ad haec *mata* subinde notat libertatem, sufficientiam, copiam, facultatem, potentiam, ut Feal. xx, 9: «Invenitur manus tua omnibus inimicis tuis,» id est sufficit, potentior sit et fortior inimicis tuis. Sic hic invenire animam, est acquirere animam, id est vitae libertatem rerumque copiam et potentiam per negationem fidei: haec enim reges et tyranni negantibus Christum promittebant.

40. QUI RECIPIT VOS, ME RECIPIT; ET QUI ME RECIPIT, RECIPIT EUM QUI ME MISIT. — Qui enim recipit legatum, in legato recipit regem qui eum legavit, ut per eum loquatur et agat. Apostoli autem sunt legati Christi, et Christus Dei: qui ergo eos recipit, Christum in his recipit, et in Christo ipsum Deum, juxta illud Pauli: «Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.» II Cor. vi. Ita fecerunt Galatae Paulo: «Testimonium, ait ipse ad eos, cap. iv, vobis perhibeo, quia, si fieri posset, oculos vestros emissetis et dedissetis mihi.» Et rursum: «Non me respicistis, sed sicut Angelum Dei excepistis, sicut Christum Jesum.» Proponit Christus hic praemia recipientibus Apostolos, ut Apostolis in paupertate, quam eis praecipit, v. g. praedicantibus, consulat in eaque confirmet, utque hospites ad eos libenter excipiendum invitet.

41. QUI RECIPIT PROPHETAM IN NOMINE PROPHETE, MERCEDEM PROPHETE ACCIPIET; ET QUI RECIPIT JUSTUM IN NOMINE JUSTI, MERCEDEM JUSTI ACCIPIET. — «Propheta,» id est doctorem et praedicatorum Evangelii, quales erant Apostoli. Olim enim Prophetarum munus erat, non solum praedicare futura, sed et populum docere ac praedicare legem ac verbum Dei. «In nomine Prophete,» id est quia propheta, id est doctor et praedicator Christi. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Beda. Vide cap. vii, 13.

MERCEDEM PROPHETE ACCIPIET. — *Primo*, aliqui sic explicant, *q. d.* Mercedem a Propheta accipiet, eamque hospitio et hospitalitate longemajorem, quia a propheta, id est praedicator accipiet fidem et gratiam Christi, item orationes ejus apud Deum pro suo hospite.

Secundo, Euthymius: «Mercedem Prophete accipiet,» hoc est, inquit, erit propheta et praedicatori equalis in carcere, et equalibus cum eo honoribus dignus habebitur. Hoc subinde verum

est, cum scilicet hospes tanta charitate recipit praedictorem, quanta ipse praedicat, eique magno fervore cooperatur et causa est, ut plurimum convertat. Mensura enim charitatis respondet mensura gloriae caelestis et beatitudinis essentialis. Quantum enim quis amat Deum, tanta visione Dei beabitur. Gradus enim visionis et gloriae correspondent et commensurantur gradibus charitatis. Alias verum non est: plus enim est praedicare Christum, ac proinde majoris meriti et praemii, quam sit praedictorem hospitio excipere.

Tertio et genuine, «mercedem Prophete accipiet,» quia sicut cooperatur prophete eumque juvat, quia Propheta et praedicator est, ita participat laboris, meriti et praemii prophetae non aequaliter, sed proportionaliter, scilicet, secundum proportionem cooperationis et charitatis, qua praedicanti cooperatur. Sic enim jure communi receptores latronum et furum simili cum eis pena plectuntur, licet non aequali. Qui enim alienae virtuti, vel crimini cooperatur, illius alieni operis naturam et meritum, indeque praemium vel supplicium in se trahit. Sic explicat S. Chrysostomus: «Mercedem Prophete accipiet illam, inquit, quam decens est ut in capiat, qui Prophetam recipit;» alii: «Particeps erit mercedis Prophete promissae.» Simile dat S. Gregorius, hom. 20 in *Evangelio*: «Quia, inquit, et si ulmus fructum non habet, uvam tamen cum fructibus portans, haec sua efficit, quae bene sustentat aliena.» Sic enim hospes, per Prophetam quem recipit, propheta et praedicat, ideoque Prophete meritum et praemium percipit.

Huc facit vetus militiae lex: «Aequa pars erit descendenti ad praedium et remanenti ad sarcinas, et similiter dividunt hostium spolia,» I Reg. xxx, 24. Mercedem ergo Prophete, id est prophete, sive praedicationis recipiet, quia eam adjuvit et promovit; sine eo enim praedicator (ulpote carens victu) praedicare non potuisset.

Denique per «mercedem Prophete» nonnulli accipiunt donum prophetae, quod Abdiam prophetae meruisse censet S. Hieronymus, in *Abdiam*, eo quod ipse Prophetas in persecutione Jezebelis pane et aqua sustentasset: «Hic, inquit, quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus fit dux Ecclesiae. Tunc in Samaria parvum gregem paverat; nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesiam.» Censet enim ipse Abdiam, qui Prophetas sub Achab latitantes aluit, III Reg. xviii, 43, eundem esse cum Abdiam, qui quartus est inter minores Prophetas. Idem censet S. Epiphanius, S. Dorotheus, S. Isidorus et alii, etsi verius sit alium fuisse ab eo, uti ostendi proemio in *Abdiam*. Simili modo SS. Marius et Martha cum filiis, alique plures, martyrum adepti sunt, eo quod martyres visitasset et ab eis in carcere, de quo mox supra.

Ex hac sententia colligit S. Ignatius, epist. ad

Smyrneses, eum qui recipit martyrem mercedem martyris recepturum: «Nimirum, inquit, qui honorat victum Jesu Christi, martyrum mercedem accipiet.» Hinc in historiis martyrum legitur multos fideles, qui martyres viscebant, vel alebant, vel confortabant, vel sepeliebant, vel quovis alio modo fovebant, hoc ipso martyrium meritos. et reipsa martyres evasisse, ut patet in S. Vitale martyre, pare S. Gervasio et Provasii, qui confortans S. Ursinum in morte et martyrio nutantem, captus et martyrio affectus est. Idem contigit S. Sebastiano confortanti SS. Marcum et Marcellianum, et SS. Mario et Marthe cum duobus filiis visitantibus et adjuvantibus martyres Romae in carcere detentos, et plurimis aliis.

QUI RECIPIT JUSTUM IN NOMINE JUSTI (quia justus est) MERCEDEM JUSTI RECIPIT — eo modo, quo jam dixi de Propheta; imo si sit in peccato, gratiam penitendi obtinebit fietque justus. Id enim saepe Sancti suis hospitibus verbo et exemplo persuadent, ac oratione apud Deum impetrant. Ita S. Franciscus Celani a mille hospite exceptus, praedixit illi instantem mortem, confessionem persuasit, et apud Deum impetravit gratiam et salutem aeternam; nam miles illico confessus, initio refectionis expiravit. Vide S. Bonaventuram in *Vita ejus*, cap. xi, et Wading. in *Annal. Minor. anno Christi 1223*, num. 10.

S. Franciscus mortem instantem illi miles visis solus peti praedixit.

vers. 42. Marc. ix 41.

Galilaeae frigidae aquae virtus.

42. ET QUICUMQUE POTUM DEDERIT UNI EX MINIS ISTIS CALICEM AQUE FRIGIDAE, TANTUM IN NOMINE DISCIPULI; AMEN DICO VOBIS, NON PERDET MERCEDEM SUAM. — «Aqua frigida,» quae res vilissima, estque pauperrimorum: «ne, ut ait S. Hieronymus, in calida quis sumptum lignorum causari possit,» nec in calice magnitudinem vasis, non enim dicit congium, nec amphoram, sed calicem, sive cyathum: quis enim adeo debilis, vel pauper est, qui cyathum aquae dare, aut ferre nequeat? Et S. Augustinus, serm. 63 *De Tempore*: «Quis erit, inquit, qui se possit excusare, cum etiam pro calice aquae frigidae mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigida dixit? Ne forte se possit aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut certe dicere se vasculum, ubi aquam calefaceret, non habere.»

IN NOMINE DISCIPULI. — Id est quia mens discipulus est; quia mihi meaeque doctrinae adheret; quia in me credit; quia fidelis est Christianus, hoc est in honorem meum, meique intuitu et respectu. Hic enim Christi intuitum intentionem dantis ipsumque opus rectificat, nobilitat et exaltat, ut Christo factum videatur, quod Christiano collatum est, adeoque Christus sibi factum aestimat, et tale magna mercede remuneret. Si enim alio intuitu idem opus facias, v. g. quia tuus servus, cognatus, vel amicus est, parvi vel nullius apud Deum erit pretii et meriti: haec enim est elemosyna actusque misericordiae naturalis, prior vero est actus misericordiae superna-

turalis. Ita Suarez et Theologi. Audi Suarez, lib. II *De Necessitate gratiae*, cap. xvi, 40: «Hicse Christi verbis insinuat, quod opus misericordiae, si fiat homini solum, quia homo est, sit ordinis naturalis; si vero fiat, quia fidelis est, et civis Sanctorum ac domesticus Dei, sit opus misericordiae superioris ordinis, sive supernaturalis.»

Exemplum illustre est in *Vita* (exlat apud Surium die 28 octobris) S. Anastasiae virginis et martyris. Haec enim, cum et lingua praescinderetur et dentes evellerentur, viribus deficienti sitiensque poposcit aquam. Illam ei praebuit Cyrillus quidam, qui poculo aquae frigidae emit coronam martyrii. Cum enim Probus praeses intellexisset id ab eo quasi Christiano factum Christiana, morte et martyrio eum affecit.

Ex hac Christi sententia nonnulli Theologi eo Suarez probabiliter colligunt gratiam in justo augeri per actus remissiones, ut si justus, v. g., habeat gradus gratiae intensos ut octo, elicat autem actum elemosynae, dando, v. g., calicem aquae frigidae pauperi actum remisso ut tria, hoc tamen actu ipsum promeritur augmentum gratiae habitualis intense ut octo, ut additis tribus gradibus, intensa, vel extensa sit ut undecim.

Probatur *primo*, quia recipere Prophetam est facile et obvium, perinde ac recipere pauperem vel hospitem: hic tamen, licet jam justus et sanctus, recipiet mercedem Prophete, quae est gloria aeterna, scilicet certos gradus visionis beatificae, ac proinde recipiet prius in hac vita gradus gratiae illi respondentis, gradus enim gloriae respondent gradibus gratiae. Ponamus ergo eum habuisse gradus gratiae octo: jam per hoc opus intensum tantum ut tria, accedent ei alii tres gradus gratiae; ergo minus remissum opus auget gratiam intensiorem.

Secundo, dare calicem aquae frigidae est opus minimum et facillimum, ac proinde communiter remissa intentione fit: nam dare, v. g., aureos decem vel viginti, longe majus est et difficilius; ac proinde requirit majorem conatum et intentionem voluntatis; et tamen illud, licet minimum, habet mercedem, ut ait hic Christus, scilicet, certos gradus gloriae, et consequenter totidem gradus gratiae ei respondentis. Justus ergo, qui saepe actus charitatis intensiores elicuit, et per eos habitum gratiae accepit intensum ut viginti, si det calicem aquae frigidae per actum remissum ut duo, hujus operis mercedem accipiet, scilicet duos gradus gloriae, ac consequenter totidem gradus gratiae illis commensos: hi ergo duo gradus augetur gradus gratiae viginti, ut fiant duo et viginti.

Tertio, si opus objective, et quasi essentialiter minus, quale est dare calicem aquae frigidae, auget gratiam acceptam ex opere quod majus est essentialiter et objective, quale est dare centum aureos pauperi; cur non pariter (simo magis) opus quod tantum accidentaliter est mi-

nus, puta remissus in intensione, augeat gratiam acceptam ex opere quod tantum accidentaliter fuit majus, quia scilicet fuit intensus et ardentius? Ita Suarez, *Com. III De Gratia*, lib. IX, cap. III, num. 36.

Denique significat hic Christus, nullum opus, licet minimum, predicatori impensum, carit-

rum sua mercede. Talia autem sunt opera remissa, qualia plurima faciunt justis, ac proinde plurimorum operum mercedem perderent, si opera remissa non augeant gratiam intensiorem (pauci enim tam intensos actus eliciunt, ut habitum adaequant vel excedant), cujus tamen contrarium hic docet Christus.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Joannes Baptista per discipulos quaerit a Christo, an ipse sit Messias? Christus, non per verba, sed per facta, puta per miracula respondet se esse Messiam. Secundo, vers. 7, Christus laudat Joannem quasi Angelum, quo inter natos mulierum nullus sit major. Tertio, vers. 16, arguit Judaeos, quod tam se, quam Joannem expulerint. Quarto, vers. 21, diras intentat civibus Corozaim et Capharnaï, quod eo toties audito visisque tot signis, non crederint. Quinto, vers. 23, docet Deum se suaque non nisi humilibus et mitibus revelare et communicare.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus, praeciens duodecim discipulis suis, transit inde ut doceret et praedicaret in civitatibus eorum. 2. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis, 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens Jesus ait illis: Eantes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis: 5. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur: 6. et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 7. Illis autem aeventibus, cepit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. 9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. 10. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno caelorum, major est illo. 12. A diebus autem Joannis Baptistae usque nunc, regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim Prophetae et lex usque ad Joannem prophetaverunt: 14. et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. 15. Qui habet aures audiendi audiat. 16. Cui autem similem astimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coaequalibus, 17. dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. 18. Venit enim Joannes, neque manducans, neque bibens, et dicunt: Daemonium habet. 19. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax; et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. 20. Tunc cepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. 21. Vae tibi, Corozain; vae tibi, Bethsaida; quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. 22. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sydoni remissius erit in die iudicii, quam vobis. 23. Et tu, Capharnaum, numquid usque in caelum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia, si in Sodomis factae fuissent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. 24. Verumtamen dico vobis, quia terra Sodomorum remissius erit in die iudicii, quam tibi. 25. In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. 26. Ita

Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. 29. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris: 30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

4. ET FACTUM EST, CUM CONSUMMASSET JESUS, PRAECIENS DUODECIM DISCIPULIS SUIS. — Est Graecismus. Ponitur enim participium pro infinitivo vel gerundio, praeciens pro praecipere, q. d. Cum finem fecisset praeciendi, vel, ut Graece est, διατάξας, id est ordinandi et instruendi Apostolos, tam praecipis quam consilii, tam malorum praedictionibus, quam bonorum promissionibus. Ita Maldonatus, Jansenius, Franciscus Lucas, Baradius et alii.

TRANSIIT INDE. — Separans scilicet se ab Apostolis, quos seorsim misit evangelizare, tum ut ipsi Christo secuturo viam praepararent docendo et miracula patrando, tum ut ipsi sui suaeque virtutis periculum facerent in hac missione, separati a Magistro. Porro, quid fecerint Apostoli ita a Christo missi et dimissi, tacet Matthaeus, sed narrat Lucas, IX, 6, et Marcus, VI, 12.

UT DOCERET ET PRAEDICARET IN CIVITATIBUS EORUM, — scilicet Galilaeorum, sive Judaeorum, ad quos capite praecedenti misit Apostolos; sed ita, ut ipse quoque seorsim ab eis iret per urbes eorundem praedicatum. Nota Hebraismus: Hebraei enim pronomini relativi vel demonstrativi (quale est eorum) antecedens non exprimunt diserte, sed illud ex circumstantiis et quasi notum lectori, vel auditori intelligendum relinquunt. Simile est Ps. xcviij, 8; IV Reg. xvij, 24; III Reg. V, 3, et alibi.

2. JOANNES (BAPTISTA) AUTEM CUM AUDISSET IN VINCULIS OPERA CHRISTI. — «Cum audisset» a discipulis suis, ut ait Lucas, VII, 18, ex quo pariter liquet hic esse hysteroiogiam, et quae hic de Joanne narrat Matthaeus a vers. 2 ad 20, contigisse ante missionem Apostolorum, quam ipse recensuit cap. x.

IN VINCULIS. — Syrus, in domo vincitorum, puta in carcere, ubi enim incluserat Herodes, eo quod ipse cum Herodiade adulterium reprehendisset. Igitur paulo ante suam mortem et martyrium, Joannes misit hos discipulos ad Christum, anno 32 aetatis Christi, qui fuit annus secundus praedicationis ejusdem, cum jam Christus per doctrinam et miracula inclaresceret, ut ab illo discerent ipsum esse Messiam sive Christum, ac se occiso et mortuo, ad illum transirent: alioqui enim schisma a Christo facere potuissent, praepoentes Joannem velut magistrum suum Christo; nam majora ipso sensisse de Joanne quam de Christo liquet Matth. ix, 14. Sicut ergo cursores in stadio, decursa meta, alteri ad cursum sequenti lampada

tradunt; sic Joannes defunctus suo munere et praedicatione, illam resignavit Christo. Et sicut aurora occumbens desinit in solem orientem, sic Joannes desinit in Christum; fuit enim ipse Lucifer solis justitiae, puta Christi. Quare adeo non invidit Christo gloriam orientem cum suo occasu, ut in eo gavisus sit; imo occumbere optavit, ut Christus oriretur; non enim ipse sum, sed Dei Christique gloriam amibat; unde ait: «Ilum oportet crescere, me autem minui.» Joan. III, 30.

3. AIT ILLI: TU ES QUI VENTURUS ES, AN ALIUM EXPECTAMUS? — «Qui venturus es,» Graece ερχόμενος, id est ille veniens, hoc est venturus, magnus scilicet ille Propheta, redemptor Israelis et salvator mundi, puta Messias ab omnibus Prophetis promissus et a Patribus avidissime desideratus, qui hoc tempore, expletis de eo prophetiis, quasi jamjam venturus ab omnibus expectatur. Alludit ad oraculum Patriarchae Jacob, Gen. xlix, 10: «Non auferetur sceptrum de Juda, etc., donec veniat qui mittendus est,» puta Messias.

EX HIS JOANNIS VERBIS Tertullianus, lib. De Baptismo, cap. x, et lib. IV Contra Marcionem, xviii, et Justinus, Quaest. xxxviii ad Orthodoxos, opinantur Joannem dubitasse de Jesu, an ipse esset Messias sive Christus, sed peperam; nam jam in baptismo Christi, Joannes cum baptizans, viderat Spiritum Sanctum specie columbae in eum descendentem, ac vocem Patris audivit: «Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.» Matth. iii, 17. Quocirca Joannes clarissimum dederat ipsis testimonium, dicens: «Ecce Agnus Dei.» Joan. I, 32.

Alii opinantur Joannem non dubitasse quidem quin Jesus esset Christus, sed interrogare hic duntaxat, an ipse post mortem sit venturus in limbum, ut se propediem post mortem eo abiturum, ac Patres in eo degentes visitet et liberet. Ita S. Hieronymus, quem aucti: «Non ait: Tu es, qui venisti, sed: Tu es, qui venturus es. Et est sensus: Manda mihi, quia ad infernum descensus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, quia nuntiaui superis? an non conveniat Filio Dei, ut gustet mortem, et alium ad haec sacramenta missurus es?» Et S. Gregorius, hom. 6: «Non dubitat, ait, esse mundum redemptorem, sed quaerit an sit ad inferni claustra descensusus.» Verum hoc quoque minus appositum et probabile videtur.

Vers. 2.
Luc. VII,
18, 19.

Joannes
a carcere
misit
discipulos
eos suos
ad Chris-
tum.

Vers. 3.
Luc. VII,
19.

Joannes
non dubi-
tavit Jo-
annem esse
Messiam.